

contingat ultimum reperiri. Sane semper intellecto et excepto ab omnibus predictis, quod civitas Tergesti cum castris de Mocho et Mochullano cum territoriis, districtibus, villis et pertinentiis ipsius vel ipsorum et cujuslibet eorum cum omnibus fortificiis et locis, que infra eorum continentur confines et districtus, de quibus fit mentio in speciali capitulo presentis pacis, non includatur, nec veniat, nec venire intelligatur in supradicta cognitione, arbitrio et potestate data predicto sanctissimo domino nostro Pape per presens capitulum. Et quod interim donec et quousque dictum compromissum in forma predicta factum fuerit dicti domini vicedominus et alii gubernatores regentes seu representantes Ecclesiam Aquilegensem et dictam patriam Forijulii, non teneantur, nec sint adstricti, seu obligati vigore presentis pacis ad relaxandum, dimittendum, seu expediendum dicto domino duci et communi Veneciarum civitates, castra, terras et loca, que eis dimittere et relaxare tenentur, secundum formam presentis pacis. Sed de dictis locis, nec aliquo ipsorum dictus dominus dux et commune Veneciarum, nisi prius facto dicto compromisso se impedire non debeat, neque possit, nec dictam Ecclesiam in dictis locis et terris molestare. Facto autem dicto compromisso, ut supra, dictus dominus vicedominus et dicti representantes seu gubernatores dictam Ecclesiam Aquilegensem et patriam Forijulii teneantur et debeant observare et executioni mandare contenta in dicto capitulo de relaxatione et expeditione dictarum terrarum et locorum mentionem faciente. Et in casu quo supradicti syndici, actores et procuratores dicte Ecclesie et patrie Forijulii, vel alter ipsorum habens in solidum potestatem infra dies viginti quinque dicti mensis non fecerint dictum compromissum insimul et una cum dicto domino duce et consiliis, quod prefatus dominus dux et consilia nomine dicti communis Veneciarum soli et per se possint dictum compromissum facere in forma predicta. Hoc acto et specialiter convento inter dictas partes quod prefatus dominus noster papa, vigore dicti compromissi cognoscere vel procedere non possit, nec dicti Aquilegenses vel presidentes